

et quasi violenta, de se enim visio illa omnia petit, et eminenter continet, et sic ratione suæ eminentiæ omnia præstat, quæ gratia, et charitas. Ergo Deus infundens visionem, non minus illa sibi placet, quam placeat gratia, et charitas, si quidem visio est finis, et perfectio consummativa gratiæ, et charitatis; ergo non minus redditur Deus placatus homini, et conversus ad ipsum ex vi infusionis visionis beatæ, quam ex vi infusionis gratiæ. Patet consequentia, quia non stat Deum complacere sibi in aliquo, et non converti ad ipsum, eique placari; ergo si infusa visio, non minus, imo magis placet Deo quam infusa gratia, aut charitas, cum visio sit perfectio consummativa istius, non minus, sed magis convertitur, et placatur Deus homini infundendo visionem, quam gratiam.

XXXIX. Denique idem ostenditur, quia non stat hominem converti ad Deum in ordine supernaturali, et Deum non converti ad hominem, eique placari, et in illo complacere, cum potius nostra conversio ad Deum, oriatur ex conversione Dei ad nos, juxta illud Threnorum v: *Converte nos Domine ad te, et convertemur*: et Psalm. LXXXIV: *Deus tu conversus vivificabis nos*: Lucæ XXII: *Et conversus Dominus respexit Petrum*. Sed (ut probandum est) per visionem etiam si de facto non sequatur actus dilectionis, homo virtualiter, et eminenter convertitur ad Deum, utpote cum maneat impeccabilis, et firmatus in bono, quo nulla major conversio potest intelligi; ergo Deus manet conversus ad hominem, illique placatus, et sic remittit offensam. Et sicut non stat Deum unire suæ personæ aliquam naturam, etiam si in ea præcessisset peccatum, nisi convertatur ad talem naturam, sibi que placeat, prout sic unita est sibi personaliter, ita non

stat quod Deus infundat alicui visionem, et non convertatur ad ipsum hominem, eique reddatur placatus, et remittat offensam. Confirmatur, quia non stat Deum dare alicui summam felicitatem, et non tollere ab illo summam infelicitatem, et miseriam; sed visio beata, etiam antecederet ad charitatem, et actum dilectionis, est summa felicitas essentialiter, et substantialiter, cum sit assecutio summi boni (ut ostensum est) peccatum autem non solum actuale, et præsens, sed etiam habituale, et præteritum, ejusque macula est summa infelicitas, cum sit aversio a summo bono; ergo non compatitur cum sola visione.

XL. Ex his sequitur, quod etiam peccatum habituale, seu macula peccati, etiam peccatum originale, non compatiuntur cum visione beata, sed ab ea expelluntur tamquam a forma eminenti et consummativa totius gratiæ, sicut ab ipsa gratia ordinariæ, et communiter expellitur macula, et sicut a Persona divina, si assumeret peccatricem naturam, expelleretur quæcumque macula, et habituale peccatum. Hoc autem facit ipsa visio, prout datur permanentemente, et habitualiter juxta exigentiam suæ naturæ, sic enim opponitur statui permanenti, et habituali peccati; si enim daretur solum per modum transeuntis, non apparet quod implicaret contradictionem remanere maculam, et offensam non remissam, eo quod macula, et habituale peccatum existunt in anima per modum permanentis, et sic quamdiu non introducitur aliqua forma, seu status permanentiæ, non est a quo formaliter tollatur talis macula et peccatum habituale; actus enim per modum transeuntis se habens directe, et formaliter non opponitur habitui, sed solum dispositive: posita autem quacumque dispositione, nisi introducatur forma, nunquam proce-

dens forma expelletur. Sed de hoc amplius tractabitur infra in materia de justificatione, agendo, an actus contritionis possit esse forma justificans. Ex illa enim resolutione dependebit, an etiam actus visionis sic datus per modum transeuntis, possit justificare, et explere peccatum, licet pro præsentis difficultate aliqua differentia inveniatur.

XLI. Nam vel loquimur de solo actu visionis existente in intellectu per modum transeuntis; vel de actu visionis, simul cum actu dilectionis, et amoris Dei consecuto. Si datur simul cum amore Dei, dabitur actualis conversio voluntatis in Deum, et erit eadem difficultas, an sit forma justificans, et expellens maculam, sicut est de actu charitatis, et contritionis, quam modo habemus, et de hoc dicetur in materia de justificatione. Si vero accipiatur sola visio, ut tenet se ex parte intellectus sine dilectione, non currit eadem ratio ad justificandum, si solum per modum transeuntis datur: quia non relinquit dictamen immobile ad repugnandum peccato, sed solum quamdiu visio durat, et sic habet se sicut auxilium ex parte intellectus se tenens, et nondum tangens voluntatem, neque illam convertens, neque ratione actus dilectionis: quia non datur, (ut supponimus in casu quo Deus suspenderet dilectionem) neque ratione dictaminis immobilis: quia solum per modum transeuntis se habet, et sic solum quamdiu durat, non permittit nasci aliud dictamen defectuosum; sed quia non mutat voluntatem, nec in illa relinquit dispositionem aliquam ad amorem, et alias se habet per modum transeuntis, non magis tollere potest peccatum habituale voluntatis, aut maculam ejus, quam quodlibet auxilium ex parte intellectus se tenens, et ex quo nihil in voluntate sequitur, nec quoad actum

dilectionis et conversionis, quia (ut supponimus) non datur, nec quoad habitualem dispositionem, ut in actu primo habitualiter maneat conversa ad Deum, quia nihil habituale ponitur ex vi talis visionis in intellectu; ergo neque in voluntate.

XLII. Cæterum quidquid sit de visione beata, si detur per modum transeuntis, an tollat, vel non tollat peccatum habituale, et maculam, id tamen affirmamus de visione beata habitualiter, et permanentemente data, et juxta connaturalem statum suum, etiamsi suspenderetur dilectione necessaria, quæ sequitur ad ipsam visionem erga Deum. In qua parte multi dissentiunt etiam ex Thomistis, qui putant habituale peccatum non repugnare cum visione, et ita tenent Gregorius, Martinez ubi supra, conclusionem II, et Lorea hic disputat. xxiv, membro III. Oppositum tamen mihi certius videtur cum aliis Thomistis, et sequitur etiam Montesinos hic disputat. VI, quæstion. VII, §. IV. Et ex rationibus D. Thomæ a nobis explicatis sequitur efficaciter, solum addendo, quod visio beata per modum permanentis data, non solum actualiter et per modum transeuntis proponit Deum, ut summum bonum, et amandum, sed etiam permanentemente, et habitualiter manet impossibilitatis habere defectuosum dictamen, seu peccaminosum, et proxime habilis, et dispositus ad sequendum bonum, quantum est ex principiis intrinsicis, nisi ab extrinseco impediatur, et sic radicaliter manet conversus ad bonum, et aptus habitualiter, et permanentemente ad illud. Excludit ergo statum peccati, et maculam ejus, et culpam habitualem ratione habitualis conversionis ad Deum radicaliter habitæ in ipsa visione.

XLIII. Unde currunt hic omnes rationes supra factæ tam a posteriori,

quam a priori et ab exemplis. A posteriori quidem quia illa visio est summa felicitas, et beatitudo habitualiter: ergo excludit summam infelicitatem habitualement, qualis est macula peccati: est gratia consummata habitualiter: ergo excludit peccatum habituale, et maculam ipsi gratiæ oppositam, si quidem peccatum habituale opponitur gratiæ habituali, et destruitur per ipsam: ergo a fortiori per gratiam consummatam habitualement. A priori autem idem ostenditur, quia illa visio est radicaliter, et eminenter totum quod gratia et charitas, si quidem est ultima perfectio, et consummatio gratiæ, atque finis ultimi assecutio habitualis, et permanens; et est ultima, et efficacissima dispositio ad actualem conversionem in Deum, si quidem est raptus quidam voluntatis ad Deum amore necessario: ergo relinquit habitualiter hominem sic affectum, ut non sit aversus a Deo ex præcedenti peccato, neque potens ad peccandum de novo. Patet consequentia, quia ex præcedenti peccato in tantum homo remanet in peccato habituali, et in macula, in quantum remanet habitualiter affectus fini creato, et privatus rectitudine, et regulatione finis boni. Per illam autem visionem habet radicaliter impossibilitatem affectum ad rem pravam, et sic dispositum, ut ponderet, et inclinet in dilectionem Dei necessariam, licet per miraculum suspendatur; ergo habitualiter, et ex vi status jam est conversus in oppositum finem: ergo non manet aversus ex præcedenti peccato in finem: pugnant enim inter se habitualiter esse conversum in finem pravum, rectitudineque privatum, et habitualiter esse inclinatum, et conversum in finem bonum saltem radicaliter, et impossibilitatem habitualiter, ne convertatur in finem pravum, et peccet.

XLIV. Ab exemplis autem idem explicatur, tum quia ad expellendum de facto aliquam privationem, vel formam, non requiritur de necessitate, quod habeatur formaliter opposita forma, sed sufficit quod radicaliter, et in statu permanenti, seu habituali, et patet, quod ad expellendam hincibilitatem, quæ est proprietas equi, non requiritur risibilitas, sed sufficit rationalitas, quæ est radix risibilitatis: et ad expellendum calorem non requiritur necessario frigus, sed sufficit forma aquæ, quæ est radix frigoris: et ad tollendam gravitatem non requiritur levitas, sed sufficit forma ignis, quæ est radix levitatis. Radix autem conversionis totalis in Deum, et omnium quæ agenda sunt propter Deum, est dictamen rationis firmiter, et inseparabiliter adhærens regulæ rationis, quod fit per claram visionem summi boni: nam intellectus, et dictamen ejus est radix voluntatis, et agendorum per voluntatem. Ergo qui habitualiter est firmatus per visionem Dei in bono, est radicaliter conversus ad Deum, et excludit habitualement conversionem ad malum.

XLV. Tum etiam hoc explicatur exemplo hypostaticæ unionis: sicut enim rectificato principio personali seu principio quod actionum, licet nulla sequatur actio in voluntate, seu antequam sequatur, destruitur ex vi talis unionis quodcumque peccatum, quod præcesserit in illa natura, quia sufficit illam naturam per talem unionem adæquari, et conformari illi supposito impeccabili, ut ex hoc dicatur impeccabilis ulterius, et emundata ab omni antecedente peccato in alio supposito perpetrato; ita similiter cum per visionem beatificam rectificetur ipsum principium quo, unde cæteræ omnes actiones dimanant, scilicet intellectus, cui adæquatur, et confor-

matur voluntas manens sic disposita quatenus immobiliter, et permanenter conjuncta tali intellectui, et dictamini impeccabili, et indefectibili, quod ex vi illius non potest prodire in actum peccati, et consequenter neque manet habitualiter aversa a Deo per peccatum præcedens, quia ex vi illius unionis, et dispositionis manet conjuncta, et conversa visioni, et dictamini recto de Deo inseparabiliter. Itaque intellectus manet formaliter, et immediate conjunctus regulæ rectæ per visionem illam, permanenti modo datam: radicaliter autem, et mediate etiam ipsa voluntas, quatenus unita, et subordinata intellectui sic rectificato, et quatenus ex tali unionis, et subordinatione redditur impossibilitata sequi dictamen pravum et peccare; sic enim manet conversa mediate (id est mediante intellectu, qui est radix ejus) et ex consequenti ad ipsam regulam, ad quam intellectus manet, per visionem summi boni adhærens.

XLVI. Sed inquires, quam mutationem ponat in voluntate, aut in ipsa essentia animæ ista visio, quæ solum existit actu in intellectu. In voluntate autem non resultat actus dilectionis, quia (ut supponimus) impeditur concursus, et charitatis habitus non datur, neque infunditur, sicut neque in ipsa essentia animæ infunditur gratia; ergo nihil de novo fit in voluntate, et anima, neque habituale, neque actuale quo convertatur voluntas, aut quo perficiatur anima, et excludat privationem rectitudinis, et gratiæ, quæ ipsi inerat per peccatum præcedens; ergo manet privata gratia, et maculata, sicut ante, quia nihil habet, quo tollatur, neque per modum habitus, neque per modum dispositionis, quidquid sit de visione in intellectu: sine gratia autem non potest tolli peccatum, ut docet S.

Thomas 1-2, quæst. cxiii, articulo ii, et ibi communiter theologi.

XLVII. Respondetur quod etiam si non infundatur habitus gratiæ in anima, aut charitatis in voluntate, neque eliciatur actus amoris; manet tamen immutata voluntas radicaliter, non formaliter ex conjunctione, et subordinatione ad intellectum videntem ipsum Deum, qua visione stante, non potest affici ad peccatum, et solum potest prorumpere in actum bonum, sicut etiam si Deus infunderet habitum gratiæ in essentia animæ, et non habitum charitatis in voluntate, maneret voluntas conversa ad Deum mediate, et radicaliter, quatenus gratia elevat, et perficit animam, quæ est radix voluntatis, et sic mediate, et radicaliter perficit ipsam voluntatem, et sic ratione gratiæ subjectæ in anima, dicitur voluntas habitualiter conversa, licet in se formaliter non habeat habitum charitatis aut actum, quia anima est radix voluntatis, et sanctificata radice sanctificantur radicaliter potentiæ, quia: *Si radix sancta, et rami*; ad Rom. xi. Cum ergo intellectus etiam sit radix voluntatis, quia immediatus dimanat ab anima intellectus, et mediante intellectu, voluntas: inde est quod sanctificato intellectu immobiliter, et permanenter, ita ut voluntas non possit divertere, sicut fit per visionem permanentem, sanctificatur radicaliter voluntas ex conjunctione ad intellectum sine hoc quod superaddatur ei habitus charitatis, vel actus. Et sic cum inquiritur, quomodo, vel per quid immutatur voluntas, et tollitur privatio maculæ, quæ est in anima, cum neque immutetur per actum, neque per habitum.

XLVIII. Respondetur quod voluntas manet immutata radicaliter, et mediate, scilicet mediante intellectu, qui est ejus radix: sicut sancti-

ficata essentia animæ per gratiam, imo et sanctificata persona per unionem hypostaticam, sanctificatur voluntas, sic etiam fit per visionem quatenus immobiliter conjuncta manet voluntas, et subordinata intellectui immobiliter adhærenti summæ regulæ. Anima vero manet immutata, et macula peccati exclusa, quatenus id quod inhæret intellectui etiam mediate inhæret animæ quæ est subjectum intellectus, et ex unione ad intellectum sic immobilitatem in bono, mediate dicitur etiam anima immobilitatem in ipso, et impossibilitatem ad influendum in peccatum, et hæc est sufficiens mutatio; præsertim quia ipsa visio connaturaliter petit gratiam, quæ subjectetur in anima. Unde si non detur radicaliter, et eminenter facit mediate in anima, quod gratia faceret immediate. Et cum D. Thomas docet, quod sine gratia non potest remitti peccatum; nomine gratiæ non intelligit solam habitualement formaliter, sed etiam gratiam consummatam, et eminentialem; sicut est gloria, imo et unionem hypostaticam, et quidquid sanctificativum est supernaturaliter, sive formaliter, sive eminenter: totum hoc enim est gratia.

XLIX. Quod si instes: Ergo nulla est differentia inter visionem datam per modum transeuntis, et per modum permanentis; nam etiam illa relinquit voluntatem sibi subordinatam, et conjunctam, et consequenter sanctificatam, sicut si per modum transeuntis alicui uniretur Persona divina, sanctificaret naturam sibi unitam ratione unionis, et similiter gratia semel data, etiam per modum transeuntis, respondetur pro veritate, et probatione nostræ conclusionis, hoc nihil obstare; tanto enim magis illa verificatur, sic nec etiam per modum transeuntis potest stare visio cum pec-

cato. Sed tamen veritas est, quod visio habet duplex officium, et ex parte objecti præcise proponendo illud, et manifestando; et ex parte subjecti dando illi statum, seu firmando illud in tali bono, et regula rectitudinis sibi manifestata. Primum invenitur in visione, etiam data per modum transeuntis, sed non secundum; et non repugnat, nec expellit formaliter peccatum ex præcisa manifestatione objecti, sed ex statu, et habitatione, quam habet in subjecto; manifestatio enim, seu propositio objecti solum excitat voluntatem ad diligendum illud, et sic solum disponit ad conversionem voluntatis ad Deum, et habet munus, officiumque auxilii: unde sub hac formalitate non exercet rationem formæ expellentis habituale peccatum formaliter, etiam per modum formæ eminentis; nec voluntas ex unione ad talem visionem redditur conversa ad Deum, sed solum disponitur, ut diligat Deum, et convertatur, et ita si de facto non sequitur actus dilectionis, de facto non convertitur formaliter. Si vero ipsa visio statum habeat in subjecto et habituali modo in illo existat, jam non solum disponit, et excitat voluntatem ad diligendum, sed etiam reddit illam immobiliter conjunctam dictamini recto, ac per hoc oppositam habituali aversioni a Deo, quæ fit per peccatum.

L. Quare non expellitur peccatum formaliter per visionem datam per modum transeuntis, sed solum dispositive, expellitur autem per ipsam datam habitualiter, et permanenter etiamsi de facto non sequatur dilectio, quia sequitur impossibilitatem ad non peccandum permanentem, et habitualiter ex subordinatione, et conjunctione immobili ad visionem summi boni, et ad ipsam primam regulam. Quam conjunctionem immobilem non ha-

bet ad visionem datam per modum transeuntis: quia per modum transeuntis, licet sit in intellectu, ut excitans, et disponens ad amandum, tamen cum non maneat habitualiter et per modum status anima firmata in bono, neque formaliter opponitur et excludit habitualement statum peccati: quia hic solum excluditur per habitualement statum oppositum. At vero unio hypostatica nunquam habet munus, et officium dispositionis, sed solum formæ personalis, et subsistentiæ in natura sibi unita. Unde quomodocumque uniatur, sive transitorie, sive permanentem, relinquit naturam sibi unitam, ut principio personali sancto, excludendo personam creatam, quæ peccaverat, et sic non compatitur cum peccato, etiamsi brevissime in subjecto sit, sicut neque gratia habitualis pro brevi tempore data.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

LI. Primo arguitur contra resolutionem primæ difficultatis ad probandum solam visionem Dei per se ipsam sine dilectione adjuncta, non esse principium sufficiens impeccabilitatis, licet sit remotum, et inadæquatum. Nam potentia peccando non est in solo intellectu, sed principaliter, et formaliter in voluntate: quia potentia peccandi debet esse potentia formaliter libera, et voluntaria: peccatum enim in tantum est peccatum, in quantum voluntarium; ergo et potentia peccandi in tantum est talis, in quantum voluntaria, et libera; sed impeccabilitas est impotentia ad peccandum, seu potentia ad non peccandum, ergo formaliter debet residere in voluntate, non in intellectu si quidem contraria versantur circa idem, et sic visio sola, quæ est in intellectu non facit impeccabilitatem,

sed dilectio, quæ ex illa oritur.

LI. Confirmatur, quia posita visione, adhuc manet libertas in voluntate, saltem circa amorem creaturarum, et aliqui etiam circa Deum ipsum, liberum amorem admittunt. Sed quidquid in hoc sit, saltem circa creaturas constat, liberam manere voluntatem, etiamsi reguletur per visionem; ergo potest circa creaturas peccare, præsertim si detur visio quæ non attingat aliquas creaturas in particulari, sed solam divinam essentiam in se. Patet consequentia quia de ratione liberi creati est, quod sit mutabile, et possit verti in utramque partem: unde indiget lege ducente ad bonum, et auxilio Dei nutrenente, ne cadat, et utroque indiget beatus, et est capax illius, potest enim ei poni præceptum, et de facto habent præcepta naturalia; ergo supponitur, quod liberum arbitrium est capax mali, si quidem jubetur ei, ne faciat malum, et non solum ponitur præceptum affirmativum, sicut Christo, ut faciat aliquod bonum, frustra autem juberetur beato, ut non faciat malum, si est impossibilitatus ab intrinseco non facere illud. Similiter frustra indiget gratia Dei ad servanda præcepta, et ad liberas actiones bonas faciendas, si ab intrinseco est determinatus ad bonum, et impossibilitatus ad malum; tali enim subjecto nulla gratia fit dando concursus, ne peccet. At fit illi gratia in hoc, quia potest orare Deum ut det illam sibi, ergo, etc.

LIII. Respondetur concedendo, quod potentia peccandi proxime, et formaliter est in voluntate, sed radicaliter in intellectu. Ad destruendum autem aliquam potentiam, seu proprietatem, sufficit, vel quod ponatur in subjecto ejus contrarium, vel quod destruat radix, et principium talis potentiæ; destructa